



21755

II

Mag. St. Dr

P


kad.komp.

Pluciński franc. Hieron. Luctus insperatus ex aucto
fratre M. Petri Przelewic.

PANEG. et VITAE

Polon. Fol.

M 1031.



L U C T V S I N S P E R A T V S,

EX ACERBO FVNERE

Magnifici olim, Perillustris & Reverendissimi Domini,

D. M. P E T R I P R A C Z L E W I C,

Sacræ Theologiæ Doctoris & Professoris, Ecclesiarum
Cathedralis Cracoviensis CANONICI, Collegiatarum SS.

Omnium Cracov: PRÆPOSITI, Pilecensis DECANI,

Collegij Majoris SENIORIS PATRIS.

Almæ Vniversitatis Studij Generalis Cracoviensis,
PROCANCELLARII & RECTORIS
V I G I L A N T I S S I M I.

O R T V S.

E T

Dum Meritissimo ejus Nomini

Pijsq; illius Manibus

J V S T A P A R E N T A L I A.

A D Æ D E S D. A N N Æ.

In amarissimo Vniverstorum Academiæ Cracov: Ordinū mœrore persolverentur.
Ad æternam tanti Viri memoriam.

A M. FRANCISCO HIERONYMO P LVCINSKI

Pb. Doctore, Dialectica in Collegio Novodvorsciano Professore,

Contubernij Sifiniani Seniore,

NOMINE CLASSIUM NOVODVORSCIANARUM,

D O L E N T I C A L A M O

E X P R E S S V S.

Anno Nati pro salute humani generis REGIS dolorum, 1711. Die 27. Octobris.

CRACOVIA Typis Francisci Cezary, S. R. M. Ordinarij Typographi.

21.755 III. xxii. 16. 16

LUCTUS INSPERATUS.

Eheu iniqua Fata !

quot nunc pupillas ! quot pupillos flere fecisti ?

Quid potest esse à vobis securum ?

Si Doctorales Laurus, ferali securi succinditis.

Quæ à Vesta licentia tutæ manebit domus ?

cum & Sacra Minervæ limina,

sæuo violare audetis pede.

Siccine consuevistis,

Virides Corymbos in ferales transmutare Cupressos ?

Dura hæc & dira Metamorphosis est.

Timete exigua mundi lumina fatalem Ecclypsim,

Etiam primæ Magnitudinis sydera,

Mortis tenebris involvuntur.

O legem fatorum Adamante duriorem !

Nulla Regula Juris est sine exceptione :

Apud ferocem Lachesim

nec hi à morte excipiuntur, quos probitas fecit immortales.

Cuinam favebis Libitina ? cui parceris Parcae ?

his non faventes, his non parcentes,

quos Virtus, & Doctrina,

Semideos fecit adhuc in terris.

Quis Sepulchrales valet effugere Umbras ?

in æternam claudunt sua lumina noctem,
quando & hi
quos Orbis æternum vivere & videre desiderat.

En insperati luctus, & insperatae dolorum luctae
dolentibus Musis est materies.

Magnificus, olim Perillusiris & Reverendissimus Dominus,
D.M. PETRVS PRACZLEWIC,
S.Theologiæ Doctor, & Professor, Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis
C A N O N I C V S, &c. &c.
In hoc extinto Præcellentium ingeniorum miraculo,
est quod Lechicus doleat Orbis:
Etsi ille nil unquam in vita dolendum egerit.

Lugeat Vavellus,

Nempe in hoc literarum Politiorum Corculo,
Peraugusto aurearum Coronarum Ternioni,
aureus splendor & inæstimabilis Unio ereptus est.

Quomodo Sacer Pontificiae Cathedræ Senatus
non lugebis?

Diuinus Apollo,

qui Tibi non responsa sed Oracula dabit,
nunc obmutuit.

Quem non pridem vidit Sacrum Demosthenem
& Censorinum Catonem,

Diceciana Synodus.

Hunc mortis inopinatae compressit nodus.

Petrus ad Sepulchralem Petram allitus est.
O dolor maximus!

Mœret Peraugustus Vavelli Senatus.

Cujus decus & delicium erat.

Majora evolvet calamus.

Tyaratum quoq; ipsum Caput est mæstissimum,

C E L S I S S I M I P R I N C I P I S,
ILLVSTRISSIMI & REVERENDISSIMI DOMINI,

D. CASIMIRI à Lubna **ŁUBIENSKI**

DEI & S. Sedis Apostolicæ Gratiâ
EPISCOPI CRACOVIENSIS,
DVCISSEVERIÆ.

Studij Almæ Universitatis Cracoviensis

C A N C E L L A R I J,

& Benefactoris Municentissimi.

Non tam fronti infixus Gentilitius Mucro,
quam gladius Mortis PRACZLEVIANO immersus pectori,
hoc acerbum fecit cordolum.

Non potuit sine dolore PRINCIPIS avelli PRACZLEVIVS,
qui PRINCIPIS Cordi amantissimo, bene inhæserat.

Adhuc tum

cum teneriori huic Achilli Vigilantissimus adliterat Chiron.

PRÆSVLEVM CELSISSIMI PRINCIPIS CAPVT,

Hoc Minervæ Sacrarium,

Novit PRACZLEVII dotes, & pectori suo admovit.

Miretur secutura Posteritas,

Divinæ humanæq; Sapientiæ Oraculum,

PRACZLEVIVM.

Hunc Phæbea in Gracio Academo coronatum lauru,

Illustrissimæ & Excellenissimæ Familiæ,

suis Carissimis pignoribus adsciverunt.

Hunc sagyritati,

Illustrissimus olim & Excellenissimus Dominus,

D. STANISLAVS à Warszyce WARSZYCKI,

CASTELLANVS CRACOVIENSIS.

Filio suo Polono Macedoni adscivit.

Gemma Præsulum Litavi Orbis præcipuum decus,

Illustrissimus & Reverendissimus Dominus,

D. IOANNES HIERONYMVS

à Kierzeysztein

K R Y S Z P I N,

EPISCOPVS SAMOGITIÆ.

Huic fonte debet, de quo omnigenæ eruditioñis dulces latices,

PRACZLEVIVS Aureus Tripos erat,

de quo hi Nobilissimi Theopompi docta capiebant responsa.

Nec mirum,

quod magnæ Magni PRACZLEVII dotes,

tantis placuerunt Nominibus,

qui

qui omnium pæne mœrebatur affectus.

Lugeat Ecclesia,

Pastor illi Verbō, Exemplō, curā indefessā
præiens occubuit.

Cūm cecidit Petrus,

Stare absq; mœrore nequit,

Princeps Craciæ Vrbis Basilica.

In Illius Exedra.

coram purpurato Patrum Senatu,

dulcia quia Divina sacer hic Hyperides fundebat Verba.

Lugeat Niobe Mæstissima,

Alma Universitas Cracoviensis.

Eloquentissimus Cynæas, Divinus Plato,
justissimus Aristides, alter Aquinas sublatus est.

Sol Doctorum, gemma Prælatorum disparuit.

Elete Cathedræ, Stoæ, Lycea, Prytanæ,

Palladis Craciæ,

Professor Vester emeritissimus Cœlum petijt.

De Visione DEL in æternum traditurus.

Lugete Falces Rectorales,

Manus illæ tornatiles, quibus toties securè incumbebatis,

En tristi Sarcophago conditæ recumbunt

Aurea sceptræ expalleſcite,

Splendorem vestrum & Coronam pallida Mors rapuit.

Lugeas Novoduorſciana Pallas;

Provisor ille olim tuus multis annis Vigilantissimus,

Phæbus aureo Paterni affectus iubare te circumdans,
extinctus est.

Argus Centoculus bono publico, promovendiq; literis,
semper incumbens,

non Mercurij telis sed Libitinæ falce
literato Orbi ereptus.

Illustrissima & Nobilissima
Sarmatico-Academica Iuventus
Flumina Aganippidum lacrymis auge,
vel more Biblis in argenteos fontes ditflue.

R E C T O R ille
qui Te & regebat & affectu Paterno protegebat,
Eheu obiit!

Lugeas Amicorum, Cognatorū, Clientum, Christiq; egenorū turba,
Pilades, Pater, Patronus, Promotor Vester,
in Regionem loginquam abiit.

Lechicarum Princeps Vrbium,
Luge Cracovia,

Decus præcipuum de Gentilitiis tuis Portis,
Ad Portas introivit æternales,

Abiit ille, excessit,

Vestra tamen piissima mente manebit,
Ultimæ voluntatis eius Executores,
Corpore mortali ille solutus,
immortalem iam Vitam orsus est.

In Tuo tamen amico pectore vivet,
cui se totum vivens moriensq; impendit.

Magnifice, Perillustris & Reverendissime Domine,

D. M. A N D R E A K R V P E C K I,
I. V. Doctor & Professor, Eccles. Cathedralis Cracov. CANONICE,
Ecclesiarum Parochialium Niegardov. & Premykoviensis
CVRATE, &c. Contubernij Philosoph: PROVISOR.
Studij Generalis Cracoviensis R E C T O R
NEOELECTE VIGILANTISSIME.

Defesso Athlanti

par quia fortissimus succedis Hercules,
ut consiliorum lacertis literarium Orbem sustentes.

Helicon Academicus,

Præside

Præside tanto orbatus,
in Eurippo lacrymarum suarum Solamen & levamen capit,
Te toties felicissimo Fasclum Rectoralium,
donatus Moderator.

Vivet & in tuo animo,

Perillustris, Clarissime & Admodum Reverende Domine,

D. M. BASILI PLASZCZEWSKI,
Sacrae Theologiae Licentiate, Collega Major, Ecclesiarum Collegi-
atarii S. Annae DECANE, S. Georgij in Arce Cracov: CVSTOS,
CVRANTE Nasiechovicensis; Contubernij Sisiniani.

P R O V I S O R. &c.

Non sic Nifus Euryalum,
ut Petrus hic dilexit Basilium.

Nempe novit,

cui Arcana doctissimæ mentis & candidi pectoris aperuit.

Amari à te non poterit, qui te semper amavit.

Cedere de tuo corde nequit, qui tuo cordi bene inhæsit.

Evolare tām alie levis penna haud potest,

Vt tu in PETRI & PETRVS intuum affectum involavit,

Perillustris, Clarissime & Admodum Reverende Domine

D. M. MATTHIA BROCKI
Sacrae Theologiae Licentiate, Ecclesiarum Collegiatarū S. Floriani
DECANE, SCHOLASTICE Cureloviensis, Cancellarie Posna-
nensis, Contubernij Gelaniani PROVISOR, &c.

Æstimator ille ingeniorum maximus,

Lydiusq; lapis,

Tuas animi dotes, tuam in Superos pietatem

Multum æstimavit, coluit, & amavit.

Tibi Animam iuvandam,

Tibi innocentes sortes labore Professorali acquisitas,
commisit.

Nempè novit quod & sors DEI cecidit super Mathiam.

Tu tandem lugubris meæ lucubrationis
lugubris es Scopus.

Nobilis Sanguinis portio.
Magnis Nominibus in Districtu Varsaviensi cognate.

Generose Domine,

R OMVALDE WŁOSKIEWIC.

Piè defundi Avunculi tui dilectissimi,

Naturalis Executor.

Abstinere à lacrymis in ejus funere nequis,
qui nūr quam Tibi paternum præstare affectum abstinuit.

Dolore tamen tuo ei invidere Cœlum non potes,
qui illud videre pridem meruit.

In hoc ut inter Confessores locum haberet,
mori absq; Confessione Sacramentali noluit.

Intra solennes Octavæ D.Patriarchæ sui Ferias
in Cœlis feriati cepit.

Magnus hic Cantiani honoris Zelotes.

Vt dum Polus Sarmaticus canit cantus CANTIO,
ipse super Polos canat gloriam DEO.

Filius. Patriarchæ assistendo.

RECTOR REELECTVS voluit mori non **EXRECTOR**,
ut cum Fasibus appareret illi,
qui suo nutu regit.

Fasces Rectorales.

Nulla pressus infirmitate,
sed fermè ambulans obiit & abiit.

Citò enim properare ad DEVUM,
& eoram Ilo sanus mente & corpore apparere proposuit.
Errare tamen ad DEVUM nullo modō potuit
Huac illi, vel ipse JOANNES Patriarcha indigitavit.

Luctu insperato,

Academiam, Amicos, Cognatos, & me Clientem suum,
affecit.

Ipse nihilominus in Cœlis possideat,

GAUDIUM SEMPITERNUM.



Biblioteka Jagiellońska



stdr0009388

